

EPISTULA LEONINA

CXXVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGREAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODETRICESIMAM (128) !

ARGUMENTA

1. MOMO FABULA MICHAELIS ENDE LATINE REDDITA (V).....04-14
 2. DE SEMINARIO LUPAE MONASTERIENSI.....15-28

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
 SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
 centesimam duodetricesimam.*

*Primo loco Tibi commendo partem Momonis Latinae quintam, in quâ
 Hiero monstrator tres narrat fabellas lepidissimas. Pulcherrima scilicet sit
 ea, quam narrat Momoni. Utinam tibi placeat hoc quoque capitulum
 Momonis tunicatae.*

Altero loco tibi praebeo rem verê Latinam Latinê descriptam:

Caecilia Koch poetria Latina* Ephemerdidis aucatrix maximê strenua
 omnes amicos Latinitatis Vivae invitât, ut veniant Monasterium in urbem
 Vestfalicam illustrissimam ad **seminarium L.U.P.A.e** participandum!
 Babae quam prudenter, quam subtiliter Caecilia hoc seminarium
 descripsit: thema, loca, pretia, subnoctationem, viam, ordinem temporis,
 omnia ab ovo usque ad mâla facundê explanavit necnon schedam
 nominis dandi adiecit!

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 128 tolle et lege et laetare
 et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutât
 Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
 Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 die Dominico, 02. m. Apr., a.2017**

• Lege e.g. haec carmina a Caeciliâ pacta: <http://www.alcuinus.net/ephemeris/disticha.php?id=564>



BENE VIXIT QUI BENE LATUIT

OVIDIUS Tristia III 4,25

MOMO (V)

**aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit**



FABELLARIS FABULA ROMANICA

QUAM THEODISCE NARRAVIT

MICHAEL ENDE

LATINE REDDIDIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Prima editio operis originalis facta est a.1973.

CAPITULUM QUINTUM

Fabulae multis et fabulae uni tantum dedicatae

Paulatim et gradatim Hiero monstrator Momone carere non iam potuit. Qui – quatenus hoc omnino licet dicere de tali iuveni tam vago atque levi – tanto amore parvae puellae hirsutae affecta erat, ut potissimum cuperet illam quoquo secum trahere.

Ut iam scimus, Hiero summâ cupiditate affectus erat fabulas narrandi. Ipsâ autem in hac re Hiero ipse vehementer sentiebat animum suum mutatum esse. Prius eius narrationes interdum evaserant aliquatenus egenae, in mentem eius parum aptae res inciderant, nonnulla repeterat aut argumentum reddiderat alicuius cinematis, quod viderat, aut relationis ex ephemeride excerptae, quam legerat. Illo tempore Hieronis fabulae quadamtenus pedibus ierant, sed nunc eadem âlis instructae volabant.

Praecipuê eo tempore, quo Momo aderat Hieronemque auscultabat, monstratoris phantasia efflorescebat tamquam pratum vernale. Tum et liberi et adulti se premebant circa eum. Nunc Hiero scivit fabulas narrare, quae in multas partes divisae continuarentur per dies et septimanas, et nova et inexaudita ei in mentem venire non desinebant. Ceterum Hiero se ipsum auscultabat magnâ cum animi suspensione, nam nullo modo suspicabatur, quo a phantasiâ suâ duceretur.

Cum denuo philotheori advenerunt amphitheatrum visuri (Momo paululo seorsim sedebat in gradibus lapideis), Hiero his coepit verbis loqui: »Dominae Dominique maximê honorabiles! Ut certê vos omnes bene novistis, Caesarissa Strapazia Augustina bella gessit innumera, ut regnum suum defenderet contra impetûs continuos Tremulorum atque Timidorum.

His gentibus denuo subactis tam vehementer indignata est de molestatione infinitâ, ut minaretur se aggressores ad unum omnes extirpaturam esse, nisi rex Xaxotraxolus ad poenam luendam sibi traderet piscem suum auratum.

Illo autem tempore, Dominae Dominique, pisces aurati in nostrâ terrâ adhuc erant ignoti. Sed Caesarissa Strapazia a quodam peregrinatore acceperat illum regem Xaxotraxolum possidêre parvum piscem, qui, cum primum esset adultus, mutatum iri in aurum purum. Hoc cimelium rarissimum reginam velle habere sine ullâ conditione.

Rex autem Xaxotraxolus in sinu gavisus est. Piscem suum auratum, quem reverâ possidebat, sub lectum suum abdidit. At Caesarissae huius pisciculi loco tradendam curavit balaenam iuvenilem, quae imposita erat magidae iuscellariae lapidibus pretiosis ornatae.

Caesarissa magnitudine huius bestiae aliquatenus stupefacta erat, nam mente confinxerat hunc piscem auratum esse corpore minorem. At Caesarissa secum cogitavit quo maiorem esse piscem, eo meliorem, nam eo plus auri e pisce tandem factum iri. At hic piscis auratus quia ne pauxillulum quidem nitebat colore aureo, Caesarissa est inquietata. Legatus autem régis Xaxotraxoli ei explicuit illum piscem adultum demum mutatum iri in aurum, non antea. Itaque absolutê necessarium esse, ut piscis quietê cresceret. His auditis Caesarissa erat contenta.

Iuvenis balaena nunc in dies crevit necnon ingentes copias pabuli devoravit. Sed Caesarissa Strapazia cum non esset pauper, piscis tantum accepit, quantum potuit degluttire, ut crassesceret atque pinguesceret. Mox magida minor fuit, quam ut balaenam caperet.

Caesarissa Strapazia dixit quo maiorem esse piscem auratum eo meliorem et iussit bestiam collocare in pyelo. At paulo iam post balaena etiam pyelo maior fuit. Nam eadem crescere non desinebat. Nunc portata est in natabulum caesareum. Haec transportatio fuit satis incommoda, nam piscis nunc iam tantum pependit quantum bos. Unus e servis, qui iussi erant piscem gestare, cum delapsus esset, statim obiectus est leonibus, nam piscis Caesarissae erat omnium animalium delicatissimum atque pretiosissimum.

Cottidie ea per multas horas sedebat in margine natabuli et spectabat piscem crescentem. De nullâ iam re cogitabat nisi de copiâ auri ingenti, nam cum, ut notum est, Strapazia vitam ageret perquam luxuriosam, auri numquam satis habuit.

»Quo maior, eo melior« Caesarissa semper semperque murmurabat. Haec sententiola dicta est regula generalis et in omnibus aedificiis publicis scripta est litteris aeneis.

Denique natabulum quoque caesareum minus fuit, quam ut piscem caperet. Tum Caesarissa Strapazia curavit hoc aedificium moliendum, cuius parietinas hôt loco spectatis ante vos, Dominae Dominique mei. Quod fuit ingens aquarium circulare, usque ad marginem supremum aquâ completum, tam spatiosum, ut piscis tandem volup atque affatim pandiculetur.

Nunc Caesarissa ipsissima die noctuque illo loco sedebat piscemque giganteum observabat, num iam in aurum mutaretur. Nam nemini iam confidebat, neque servis neque cognatis suis, timens, ne quis sibi piscem furaretur. Itaque ibi sedebat timore et aegritudine magis magisque macrescens, oculis semper apertis piscem custodiens, qui laetê ac vegetê per natabulum circumsiliens nequaquam cogitabat in aurum mutari. Strapazia autem magis magisque negotia sua regni gubernandi negligebat.

Hoc autem ipsum Tremuli et Timidi sitienter exspectaverant. Qui Xaxotraxolo ducente ultimam expeditionem facientes sine morâ totum regnum expugnaverunt. Iidem in omnino nullum iam militem incidentes, populus autem ipse non curabat, a quo sibi imperaretur.

Caesarissa autem Strapazia cum de hac re audivisset, vocavit verba illa illustria: »Vae mihi! O utinam...« Cetera dolemus quod nobis non sunt tradita. Certo autem scimus illam in hoc aquarium se praecipitasse et iuxta piscem, qui fuit quodammodo sepulchrum omnis spei caesareae, aquis submersam esse. Rex autem Xaxotraxolus, ut victoriam suam sollemniter celebraret, balaenam curavit mactandam, ut per octo dies totus populus acciperet copadia piscina assata. Inde videtis, Dominae Dominique mei, ad quem finem homines dûci possint credulitate!«

His verbis Hiero conclusit monstrationem suam, et auditores apparuerunt esse stupefacti. Qui parietinas aspectaverunt venerabundi. Unus tantum suspicans quaesivit : »Quandonam haec omnia facta esse sentis?«

At Hiero cum numquam nesciret, quid responderet: »Notum est Caesarissam Strapaziam fuisse coaequalem Noiosii maioris philosophi illustrissimi.«

Nunc scilicet dubitorem noluisse confiteri se omnino nescire, quando philosophus ille illustrissimus Noiosius vixisset, ideoque nihil dixit nisi: »Aha, multas gratias tibi ago.«

Omnes auditores contentissimi dixerunt hanc monstrationem reverâ fuisse dignam, cuius fuissent participes, nam tam dilucidê atque delectabiliter nemo umquam antea sibi descripsisse tempora illa antiqua. Itaque auditores Hieroni modestê pileum umbellatum obtendenti se praestiterunt liberales. Ipse dubitator ille pileo iniecit nummos nonnullos. Ceterum Hiero inde ex illo tempore, quo Momo advenerat, numquam eandem fabulam narravit bis. Nam curavit, ne

ipse vexaretur molestiâ temporis. Cum Momo erat inter auditores suos, Hieroni videbatur quaedam cataracta aperta esse in animâ suâ, ut semper nova inventa scaturientia sibi sine morâ affluerent neque sibi aliquid excogitandum esse.

Immo, Hiero saepe non potuit, quin conaretur sibi ipsi moderari, ne tantum progrederetur, quantum illo die, quo a duabus Dominabus Americanis aetate proVectis iussus est, ut circumiecta monstraret et explicaret. Nam illis Dominabus terrorem haud parvum iniecerat ea narrans, quae nunc sequuntur:

»Scilicet apud vos quoque in pulchrâ Americâ liberâ, Dominae meae spectatissimae, notum esse tyrannum perquam crudelem Marxentium Communum, qui vocabatur Ruber, consilium cepisse, ut totum orbem terrarum illo tempore nôtam secundum suas ideas permutaret. At quaecumque ille fecerat, apparuit homines adversus omnia mansisse satis pares et immutatos neque posse mutari. Tum Marxentius Communus iam senex factus incidit in insaniam. Illo enim tempore, ut scilicet sciatis, Dominae meae, nondum fuerunt psychiatri, qui tales morbos sanare scirent. Itaque homines non potuerunt, quin tyrannum sinerent furere, quomodocumque volebat. Quâ erat insaniâ, Marxentio Communo in mentem vênit mundum iam exstantem relinquere et malle mundum construere perfectê novissimum.

Itaque imperavit, ut globus fabricaretur, qui exactê tantus esset quanta terra vetus et in quo omnia, omnis domus omnisque arbor et omnes montes, maria, fluvii lacûsque, ad similitudinem rerum originalium exprimerentur. Omnes homines illo tempore viventes cum minis poenae capitalis coacti sunt, ut participes essent operis ingentis.

Primo aedificatum est podium, cui imponeretur iste globus giganteus. Parietinas huius podii videtis hîc ante vos.

Deinde inceptum est construere globum ipsum, sphaeram giganteam, quae tanta erat quanta terra. Cum haec sphaera esset perfecta, in eâ diligenter omnia ad similitudinem rerum originalium sunt expressa.

Scilicet permultam materiam necessariam fuisse ad hunc globum construendum hancque materiam ex nullâ aliâ regione afferri potuisse nisi e terrâ ipsâ. Ita factum est, ut terra lentê deminueretur, cum globus magis magisque cresceret.

Cum autem mundus novus tandem esset perfecta, ultimus lapillus, qui in terrâ vetere erat relictus, ex eâdem fuerat eximendus. Necnon scilicet omnes homines mansionem mutavisse e terrâ in novum

globum commigrantes, nam vetus globus erat consumptus. Marxentius Communus autem cum cognovisset adversus labores ingentes exanclatos condicionem hominum vix mutatam esse, capite togâ obvelato abiit. Quo iisset, nemo umquam accepit.

Videtis, Dominae, hanc cavernam infundibuliformem, quae adhuc in parietinis apparet, prius fuisse fundamentum, quod positum erat in superficie terrae veteris. Oportet ergo mente confingatis totam rem inversam.«

Ambae Dominae Americanae generosae palluerunt; una rogavit: »Ubinam globus relictus est?«

»Heus« tu ipsa in eo stas!« Hiero respondit. »Mundus enim hodiernus, Dominae meae, est quidem ipse globus novus.«

Tum ambae Dominae generosae aetate proveciores formidine correptae exclamantes fugâ salutem petiverunt. Itaque Hiero pileum umbellatum illis obtendit frustra. – Libentissimê autem Hiero narrabat sôli Momoni parvae, cum nemo praeter eam auscultabat. Qui plerumque ei narrabat fabellas, nam eas Momo audiebat libentissimê, et ferê semper narrabat tales, quales agebantur de Hierone Momoneque ipsis. Quae fabellae nemini erant dedicatae nisi iis ambobus et omnino aliter narrabantur quam alia omnia, quae Hiero alioquin narrabat.

Vespere aliquo pulchro et calido ambo quietê unus iuxta alteram sedebant in margine graduum lapideorum supremo. In caelo iam coruscabant stellae priores et luna supra pinuum lineamenta nigra ascendebat magna et argentea.

»Narrabisne mihi fabellam?« Momo submissê rogavit.

Hiero: »Bene« inquit »de quo vis haec fabella agatur?«

»Agatur de Momone et Hierone potissimum velim.« Momo respondit.

Hiero breviter cum deliberasset, rogavit: »Quemnam titulum huic fabellae vis imponamus?«

»Fortasse eam appellemus – Fabellam speculi magici!«

Hiero annuit cogitabundus. »Hic titulus bene sonat. Videamus, quomodo haec fabella agatur.«

Hiero umero Momonis bracchium circumposuit et coepit narrare:

»Aliquando erat pulchra principissa nomine Momonis, quae gerebat vestes velluto et serico confectas et habitabat supra mundum in summo monte nivoso in castello vitro versicolori confecto.

Quae principissa habebat omnia, quaecumque exoptare potes, cibos comedebat nullos nisi delicatissimos et vinum non bibebat nisi dulcissimum. Quae dormiebat in pulvinis sericeis et sedebat in sellis eburneis. Quae habebat omnia – sed erat prorsus sôla.

Omnia enim circa eam sita, famuli eius, camerariae, canes, cattaë, aves et ipsi flores, omnia haec nihil erant nisi imagines speculo repercussae.«

Principissa Momo habebat enim speculum magicum, quod erat magnum et rotundum et argento subtilissimo confectum. Quod ea omni die omnique nocte emittebat in mundum. Deinde magnum speculum volitabat super terras et maria, super urbes et campos. Homines idem videntes nequaquam de eo mirabantur, sed nihil dicebant nisi: ‘Haec est luna.’

Quandocumque speculum magicum reverterat, coram principissâ omnes imagines effundebat, quas in itinere acceperat. Quae erant pulchrae et foedae, delectabiles et molestae, ut fors ferebat. Principissae eas imagines sibi eligebat, quae sibi placebant, alias rivo iniciebat. Quae imagines liberatae cogitatione celerius per aquas terrae recurrebant ad possessores suos. Inde accidit, ut te aspiciat imago tui ipsius speculo repercussa, quotcumque caput declinaveris supra puteum aut lacunam.

Nunc oblîtus sum dicere principissam Momonem fuisse immortalem. Ea enim numquam se ipsam viderat in speculo magico. Nam qui in eo conspexerat imaginem sui propriam, is itaque fiebat mortalis. Quod cum principissa bene sciret, numquam speculum inspiciebat.

Sic principissa unâ cum omnibus imaginibus speculi permultis vivebat, cum iis ludebat, et erat satis contenta.

At aliquo die factum est, ut speculum magicum Momoni secum afferret imaginem, quam maioris faceret quam ceteras omnes. Nam fuit imago pulchri principis iuvenis. Hac imagine conspectâ principissa tanto desiderio principis affecta est, ut non posset, quin sine morâ illum accederet. At hoc quomodo fieri potuit? Neque enim scivit, ubi ille habitaret neque quis esset, et ne nomen quidem illius scivit.

Cum aliud nesciret, quid sibi faciendum esset, decrevit, ut nunc speculum magicum inspiceret. Nam principissa cogitavit: ‘Fortasse fieri poterit, ut speculum imaginem mei afferat ad principem. Fortasse forte fortunâ accidet, ut ille modo sursum suspiciet, cum speculum in

caelo volitabit, et deinde imaginem mei conspiciet. Fortasse princeps speculum secutus iter faciens me hîc inveniet.’

Tum principissa speculum magicum diu inspectum cum imagine sui misit trans mundum. At eodem modo scilicet illam factam esse mortalem.

Mox audies, quid principissae postea acciderit, sed primo oportet tibi narrem de principe.

Hic princeps vocabatur Hieronymus et regebat magnum regnum, quod sibi ipse creaverat. Ubinam erat hoc regnum? Quod neque erat in hesterno neque in hodierno, sed semper situm erat uno die in tempore futuro. Itaque hoc regnum vocabatur Terra Crastina. Omnes autem homines ibi habitantes principem diligebant et admirabantur. Aliquo autem die ministri principi Terrae Crastinae dixerunt: »Maiestas debet puellam in matrimonium ducere, nam oportet ut hoc faciat.«

Princeps autem Hieronymus cum nihil habuit, quod contra diceret, Dominae virgines Terrae Crastinae pulcherrimae adductae sunt in palatium, ut ille aliquam sibi eligeret. Puellae autem omnes tanto se exornaverant, quanto poterant, nam scilicet omnem earum principi voluisse nubere. At inter puellas etiam mala sagana in palatium furtim invaserat, cuius in venis non erat sanguis ruber et calidus, sed viridis et frigidus. Hoc autem in eâ non poterat conspici, nam se fucaverat artificiosissimê.

Cum autem princeps Terrae Crastinae intraret magnum oecum throni aureum, ut eligeret puellam in matrimonium ducendam, illa sagana raptim susurravit sententiolam magicam; qua factum est, ut miser Hieronymus nullam puellam videret nisi eam.

Ea autem Hieronymo principi visa est tam pulchra, ut sine morâ rogaret, num fieri vellet uxor sua.

‘Libenter’ mala sagana susurravit, ‘sed non nisi sub quadam condicione.’

‘Quam ego explebo’, Princeps Hieronymus respondit inconsideratê.

‘Bene’ mala sagana respondit tam dulciter subridens, ut princeps miserabilis vertigine corriperetur, ‘tibi per annum non licebit suspicere ad speculum argenteum volitans. Si tamen hoc feceris, statim fiet, ut obliviscaris omnia, quae sunt tua. Obliviscêris, quis tu sis reverâ, et transibis in Terram Hodiernam, ubi nemo te novit, ibique vives ignotus homuncio miserrimus. Assentirisne?’

‘Si res est tantula!’ Princeps Hieronymus evocavit. ‘Haec condicio erit facilis expletu!’

Quidnam interim factum erat de Principissâ Momone?

Quae exspectaverat diutissimê, sed princeps non venerat. Deinde statuit, ut ipsa in mundum exiret illum quaesitura. Tum omnes imagines speculi, quae circa se erant, liberavit. Denique sôla tenerrimis calceolis suis domesticis usa e castello suo, quod erat vitro versicolori confectum, per montes nive obtectos descendit in mundum. Principissa properavit per quaslibet terras, usque sum veniret in Terram Hodiernam. Tum calceoli eius cum currendo essent detriti, Momono migrandum erat pedibus nudis. At speculum magicum, cui inerat imago principissae, pergebat volitare super mundum.

Quadam nocte Princeps Hieronymus in tecto palatii sui aurei sedens lusum dominarum cum saganâ ludebat, quae erat sanguine viridi et frigido. Tum subito guttula pusilla cecidit in manum principis.

‘Incipit pluere’ sagana dixit sanguine viridi instructa.

‘Non pluit’ princeps respondit, ‘hoc fieri non potest, nam nulla nubes est in caelo.’

Deinde sursum suspexit et medium in magnum speculum magicum argenteum, quod supra volitabat. Ibidem autem vidit imaginem principissae Momonis et animadvertit illam flere unamque illius lacrimarum cecidisse in manum suam. Eodem autem momento temporis princeps cognovit se a saganâ deceptum esse, eamque non verê esse pulchram neque in vênis habere sanguinem nisi viridem frigidumque. Principissam Momonem esse eam, quam reverâ amaret.

Sagana autem viridis: ‘Nunc’ inquit ‘fidem violasti’ – eiusque facies ita contorsa est, ut similis fieret faciei serpentinae – ‘et nunc poena tibi luenda est!’

Tum sagana longis suis digitis viridibus pectori Principis Hieronymi infossis cor nodavit; ille sedens remansit tamquam rigidatus. Eodem autem momento temporis oblîtus est se principem esse Terrae Crastinae. Exiit e castello regnoque suo tamquam fur exit nocte. Et migravit per terras longinquas, usque dum veniret in Terram Hodiernam, ibidemque inde vixit miserabilis grassator ignotus et vocabatur nullo nomine nisi Hieronis. Unica res, quam secum abstulerat, fuit imago illa e speculo magico sumpta. Quod inde erat vacuum.

Interim etiam vestimenta Principissae Momonis e velluto sericoque confecta erant penitus discissa. Momo nunc gerebat iaccam virilem nimis magnam et gunnam e laciniis versicoloribus consutam. Et habitabat in parietinis veteribus. Hîc autem aliquo die pulchro unus incidit in alteram. At Principissa Momo non recognovit principem e Terrâ Crastinâ oriundum, nam is nihil fuit nisi miserabilis homuncio. Nec Hiero recognovit principissam, nam eadem non iam erat aspectu principissae. At miseriam suam communicantes amicitîâ coniuncti unus alteram consolabantur.

Quodam vespere, cum denuo speculum magicum argenteum, quod nunc erat vacuum, in caelo volitabat, Hiero imaginem speculi e veste exemptam Momoni monstravit. Quae imago iam erat valdê complicata et confusa, tamen principissa statim cognovit hanc esse imaginem sui ipsius, quam ipsa illo tempore emisisset. Nunc autem etiam sub larvâ homuncionis Hieronis recognovit Principem Hieronymum, quem semper quaesiverat cuiusque causâ facta erat mortalis. Tum ei omnia narravit.

At capite tristissimê quassato Hiero: ‘Nihil intellegere scio eorum verborum, quae tu facis, nam cum cordi meo insit nodus, nihil recordari valeo.’

Tum Principissa Momo manu pectori Hieronymi impositâ perquam leviter nodum cordis resolvit. Nunc autem Princeps Hieronymi subito rescivit, quis esset et ubi esset patria sua. Manu principissae apprehensâ cum illâ abiit per terras longinquas – usque ad Terram Crastinam.«

Cum Hiero narrare desiisset, ambo paulisper tacuerunt, deinde Momo rogavit: »Iidem suntne postea connubio coniuncti?«

Hiero: »Puto quidem«, inquit, »postea.«

»Interimne sunt mortui?«

Hiero animo firmo: »Non« inquit »hoc forte nôvi accuratê. Speculo enim magico aliquis non fiebat mortalis nisi inspexerat solus. At si duo homines simul speculum inspexerant, fiebant immortales. Idem autem ambo fecerunt.«

Nunc luna magna atque argentea stabat supra pinûs nigras et efficiebat, ut lapides vetusti niterent nitore mysticali. Momo atque Hiero tacitê una iuxta alterum sedentes diu suspiciebant ad illud sidus

et perquam graviter sentiebant se per tempus huius momenti ambos esse immortales.

FABULAM MOMONIS A MICHAELE ENDE CONSCRIPTAM

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

**DE SEMINARIO LUPAE MONASTERIENSI
(d.7. – d.13. a.2017)**

Thu, 30 Mar 2017 18:05:14 +0200 (CEST)

**Caecilia Koch "Latinitatis Vivae Provehendae Associationis"
praeses Nicolao Groß Latinissimo Leoni salutem plurimam**

Iam complures annos Epistulam Leoninam magno cum gaudio accipere soleo, neque tamen te ipsum cognoscere mihi licuit. Nunc autem tibi nuntiare velim consocationem nostram hac aestate (diebus 7.-13.8.2017) in urbe Monasterio Vestphalorum seminarium Latine loquendi instituturam esse, cui fortasse et tibi (vel aliis linguae Latinae amatoribus tibi notis) interesse placebit. Magnas gratias tibi agam, si hunc nuntium inter amicos Latinos divulgaveris.

Valeas quam optime
Caecilia Koch

Plura invenietis hic: www.lvpa.de
Qui interesse volunt, usque ad diem

15. m. Iunii MMXVII

nomina dent apud: www.lvpa.de
Moderatrix: Caecilia Koch (caecilia@lvpa.de)

Latinitati
Vivae
Provehendae
Associatio e.V.



L.V.P.A. e.V. - Latinitati Vivae Provehendae Associatio
omnes linguae Latinae vivae fautores cultoresque magno cum gaudio invitat ad

SEMINARIUM LATINUM MONASTERIENSE

quod diebus 7.-13.8. 2017 habebitur in urbe Monasterio (Münster) in Germania sita.



Thema generale – aptum ei urbi, ubi anno 1648 atrox bellum triginta annorum inter
Catholicos et Protestantas finitum est – erit: „**De variis modis Deum aut deos colendi**“.
Excurremus ad eum locum, ubi Arminius Varum vicit, et in veterem partem urbis Monasterii.

Moderatrix: **Caecilia Koch**

L.V.P.A.e praeses

caecilia@lypa.de

tel.: (0049)176/567 576 88



1. De loco pernoctandi:



2

Seminarium habebitur in aedibus „Mariengrund“ („Vallis Mariae“ – Haus Mariengrund, Nünningweg 133, www.haus-mariengrund.de), domo Catholica seminariis conventibusque destinata. Ibi pernoctare, lectiones habere, cibos sumere licebit. Cubicula singulorum et binorum lectorum sunt, omnia autem balneis propriis instructa.

Eis, qui minore sumptu pernoctare volent, commendamus deversorium „SleepStation“ non longe a statione ferroviaria situm (Wolbecker Strasse 1, www.sleep-station.de), ex quo „Vallis Mariae“ facile raedis publicis aditur. Ibi reservata sunt cubicula binorum et ternorum lectorum.

Qui vult cubiculum unius lecti aut quattuor lectorum (hoc tantum fieri poterit, si quattuor participes Seminarii inventi erunt, qui hoc velint) aut cubiculum „coniugale“ (scil. cum uno lecto duobus hominibus apto), id sine mora Caeciliae nuntiet, ut reservet.



Ientacula ibi pretio pernoctandi includuntur, ceteros cibos omnes in „Valle Mariae“ sumemus. Si quis autem plura sibi emere volet, inveniet tabernam ciborum 700 metris a „Valle Mariae“ sitam necnon aliam tabernam 140 metris a „SleepStation“ sitam.

2. De pretiis:

Seminarii pretia – ut solent – divisa sunt et accomodata participibus, qui ex Oriente aut Occidente veniunt; pernoctandi autem pretium pendet a loco et cubiculo.

2.1. **Stips Seminarii** (scil. sumptus ciborum, aulae lectionum, excursionis, festi finalis):

- a) Occidentalibus munere fungentibus et emeritis: 380 €
- b) Occidentalibus studiosis discipulisque: 310 €
- c) Orientalibus munere fungentibus et emeritis: 220 €
- d) Orientalibus studiosis discipulisque: 175 €

Sodales LVP Ae 20 Euronis minus solvent.

2.2. **Pretia pernoctandi:**

- a) in „Valle Mariae“:
 - in cubiculo unius lecti: 240 €
 - in cubiculo duorum lectorum: 170 €
- b) in SleepStation:
 - in cubiculo unius lecti: 165 €*
 - in cubiculo duorum lectorum: 110 €
 - in cubiculo coniugali (scil. cum uno lecto duobus hominibus apto): 110 €*
 - in cubiculo trium lectorum: 90 €
 - in cubiculo quattuor lectorum: 80 €*

*si reservare licuerit

3. De itinere:

3.1. Raeda privata venturis: Sequimini viam autocineticam 1 vel 43.

a) a meridie ad SleepStation:

- sequere viam autocineticam A1 vel A43 usque ad quadrivium „Münster-Süd“
- sume viam B51 usque ad viam „Albersloher Weg“ (6,8 chiliometra) deflectens sequere signum „Albersloh/Mitte-Hafen“
- post 1,9 chiliometra ad sinistram deflecte in viam „Wolbecker Straße“
 - post 850 m ad dextram deflecte in viam „Friedrichstraße“
 - statim ad sinistram deflecte in aream stativam
 - Deversorium est in dextra parte viae.

b) a septentrionibus ad SleepStation:

- sequere viam autocineticam A1 usque ad exitum „Greven“
- ibi sequere signum „Greven/Nordwalde/Telgte/Münster-Ost“
 - ad dextram deflecte in viam „Schiffahrter Damm“
 - sequere eam viam usque ad finem (14,7 chiliometra)
 - ad dextram deflecte in viam „Warendorfer Straße“
- post 750 m ad sinistram deflecte in viam „Hohenzollernring“
- post 950 m ad dextram deflecte in viam „Wolbecker Straße“
- post 850 m ad dextram deflecte in viam „Friedrichstraße“
 - statim ad sinistram deflecte in aream stativam
 - Deversorium est in dextra parte viae.

c) a septentrionibus et a meridie ad Vallem Mariae:

- sequere viam autocineticam A1 usque ad quadrivium „Münster-Nord“
 - sequere viam B54 usque ad exitum „Hülshoffstraße“
 - ibi sequere signum „Nienberge/Havixbeck“
 - in primo quadrivio ad sinistram deflecte („Rüschhausweg“)
 - post 2,5 chiliometra ad dextram deflecte („Dieckmannstraße“)
 - sume secundam viam ad dextram („Nünningweg“)
 - Post 400 metra aderis.

3.2. **Aeroplano venturis:**

- a) **Ab Aeriportu Dusseldorpensi** ferrivia unam fere horam et dimidiam Monasterium itur. Horaria legere tesseramque emere licet apud www.bahn.de (linguis sat multis, non Latine...)
- b) Sin autem vili consociationi aerae te credideris, fieri poterit, ut non advoles ad ipsum aeriportum Dusseldorpensem, sed ad parvulum aeriportum **Düsseldorf-Weeze**, qui LX chiliometris Dusseldorpio distat nec ullis traminibus aditur. Si ita est, suademus, ut **raedam longam sumas euntem Duisburgam et inde tramine Monasterium petas**. In toto duas fere horas et dimidiam consumes. Locus in raeda **XXIV horis ante reservandus est** hic: http://airport-shuttle-express.com/ase/transferplaner_en.php. A statione principali Monasteriensi sequimini consilia ferrivia venturis data.

3.3. **raeda longa venturis:**

Advenietis post stationem ferrivariam principalem; transite igitur stationem et portam principalem egressi sequimini consilia ferrivia venturis data.

3.4. **Ferrivia venturis:**

a) **ad „Vallem Mariae“:**

Portam principalem stationis egressi **sumite raedam urbanam lineae 11 (a statione raedaria C1) vel 12 (a statione B1) usque ad stationem „Haus Mariengrund“**. Utraque linea iter dimidiam horam consumet.

(Nolite mirari, quod linea 11 in sinistram, 12 autem in dextram partem a statione ferrivaria abit – tamen, etsi diversis viis, utraque vos ad „Vallem Mariae“ vehet!).

Si, vector, solus vel sola Monasterium perveneris, suademus tibi, ut **duas tesseras XC minutarum** (2,60 € – brevioris temporis, pro dolor, Monasterii non veneunt) emas: alteram, qua primo die Seminarii ad Vallem Mariae eas, alteram, qua ultimo die ad stationem ferrivariam revertaris.

Sin autem bini simul adveneritis (vel si inter Seminarium mediam urbem petere libebit), vilior emetur **tessera quattuor itinerum (10,40 €)**,

si vero quini, licebit etiam **tesseram decem itinerum (24,50 €)** emere.

Praestat tesseras ex machina emere, nam in ipsa raeda tesserae XC minutarum cariores sunt, quaternorum vel denorum itinerum non veneunt.

b) **Ad deversorium SleepStation:**

Portam principalem stationis ferriviariae egressi **D metra ad dextram ite** usque ad primum magnum compitum. Trans compitum in dextra parte viae deversorium nomine magnis litteris inscriptum agnoscetis.

4. **Indicia eis utilia, qui in SleepStation pernoctabunt:**

Qui in SleepStation pernoctabunt, minus solvunt quam pro vero sumptu pernoctandi, quia iis cottidie raeda urbana ad Vallem Mariae eundum et redeundum erit. **Stationem lineae 11** invenietis trans compitum (videte tabulam III). Tesseras commendamus has:

- diurnas quinque hominibus aptas (TagesTicket 5 Personen, 13 €)
(his vilissime ibitis, sed ceterae maiorem libertatem praebent),
- denorum itinerum (24,50 €)
- vel septimanales (WochenTicket, 25,90 €).

Praestat tesseras ex machina emere, nam in ipsa raeda tesserae diurnae cariores sunt, denorum itinerum vel septimanales non veneunt.

Si Seminario peracto restabunt tesserae denorum itinerum non totae consumptae, date Caeciliae, et recipietis pecuniam pro itineribus non factis; exempli gratia: si tessera decem itinerum septies usi eritis, pretium trium itinerum vobis a Caecilia reddetur.


(Forsitan dixerit quispiam: „Quando autem et ubi, Caecilia imprudens, tesseras tibi dabimus? Nam in Valle Mariae ultimum te conveniemus, inde autem ut ad deversorium nostrum stationemque ferrivariam perveniamus, tesseris egebimus.“ Scitote eam difficultatem facile superari, quia tesserae denorum itinerum in quinque partes dividuntur: Qui ergo ex machina emet talem tesseram, non accipiet unam, sed quinque, quarum unaquaque binis itineribus valet – mirus quidem mos, sed interdum utilis. Sic facile poteritis partem unius tesserae decem itinerum ad ultimum iter retinere, partem moderatrici dare.)

Praeterea scitote lodices quidem pulvinosque a deversorio praebere, **integumenta autem (lectorum, lodicum, pulvinorum) atque mantelia vobis ipsis afferenda esse**. Si obliti eritis, integumenta tribus Euronis (et mantelia „parvo pretio“) a deversorio accipietis. (Saccis dormitoriis uti non licet.)


Ientaculum, quod a deversorio praebebitur, satis simplex erit: caffee, thea, panis albus, butyrum, marmelata. Qui plura desiderat, in taberna „Netto“ emere et in culina, quae omnibus hospitibus patet, sibi parare poterit.

5. Tabulae:

I. Statio ferriviaria principalis:



A stazione ferriviaria ad SleepStation:




8

III. A stazione raedaria „Haus Mariengrund“ ad aedes ipsas (400m):




IV. taberna ciborum prope SleepStation (140m):



V. taberna ciborum prope „Vallem Mariae“ (700m):

Linea viridis monstrat iter raedae urbanae; poteritis ergo, si mane a „SleepStation“ venietis, duabus stationibus longius vehi, ut ante lectiones aliquid ematis.



Si vis Euronis solvere, pecuniam mitte in hunc computum:

“L.V.P.A. e.V.* 59368 Werne”

IBAN DE52 4401 0046 0034 9474 63

BIC PBNKDEFF

Adscribe: „Seminarium Monasteriense 2017“, ut arcarius mandatum seminario ascribat.

Si Aureis Polonis solvere velis:

Martinum Loch certiozem facias (martinus.loch@gmail.com), qui tibi modum procedendi indicabit.

Si vivis in terra, quae nec Euronis nec Aureis Polonis utitur:

Pecuniam ipse in Euronos muta et primo die Seminarium praesentariam moderatrici da.

Si plura scire vis, scribe ad Caeciliam Koch: caecilia@lypa.de

Ordo temporis

	Die Lunae 7.8.	Die Martis 8.8.	Die Merc. 9.8.	Die Iovis 10.8.	Die Ven. 11.8.	Die Saturni 12.8.	Die Solis 13.8.
8.00		ientaculum	ientaculum	ientaculum	ientaculum	ientaculum	ientaculum
9.00		lectio	lectio	excurremus Kalkriesam	lectio	lectio	lectio
10.00	Participes advenient						
10.30		otium	otium		otium	otium	otium
11.00		lectio	lectio		lectio	lectio	lectio
12.30	prandium	prandium	prandium		prandium	prandium	prandium
13.30	inauguratio	otium	otium		mirabilia urbis lus- trabimus	otium	Optimum reditum exoptamus omnibus! Valete quam Lati- nissime!
14.30	lectio					lectio	
16.00	caffea	caffea	caffea			ibimus ad locum festi finalis	
16.30	lectio	lectio	lectio			spectaculum	
					alia		
				otium			
18.00	cena	cena	cena	cena	cena finalis		
		cantabimus					

Scheda inscriptionis

Nomen do ad Seminarium LVPAe Monasteriense 2017.

nomen gentile								
praenomen								
munus								
via et numerus domus								
urbs et index cursualis (PLZ)								
terra								
numerus telephonicus								
inscriptio electronica								
aetas								
sodalis L.U.P.A.e	sum				non sum			
adveniam:	aero- plano	ferrivia		raeda publica	raeda privata			
adveniam hora (si iam scis):								
pernoctabo in:	"Valle Mariae"		SleepStation					
in cubiculo lectorum:	1	2	1	2	con- iug.	3	4	
cubiculum partiri velim cum:								
praebebo:	acroasin				scholam			
peritia Latine loquendi:	tiro		tiro provectus/a			veteranus /a		
abstineo:	carne	pisce	lacte	ovis	glu- tine	lac- tosi	aliis:	
pretium solvam:	Euronis in computum L.V.P.A.e missis		Euronis praesentariis			Aureis Polonis		

Hic inscribe pretium tibi solvendum (scil. pretium pernoctandi et stipem Seminarii):

Si necopinato impediatur, id statim annuntiabo, ne moderantibus detrimentum afferam.

(urbs, dies, nomen tuum)

Mitte hanc schedulam expletam moderatrici Seminarii:

Si via electronica uti velis, mittas ad:

e-mail: caecilia@lvpa.de

Si autem cursu publico mittes: Caecilia Koch, Alte Dorfstr. 7, 48161 Münster

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DUODETRICESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Dominico, 02. m. Apr., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>